Vides lucem Evangelii passim omnia majorum obsta-
cula transcendere, magnam esse copiam flavae messis,
Dominum operarios requirere, qui eam sint erube-
scendi, qui thesaurum pietatis aliqua luce doctrinae
decorent, et quasi vendibiliorem reddant. Concipe
animo quendam generosum minimeque subven-
taneum spiritum, qui te dies noctesque exagitet, qui
νωθρότητα et soporem ex oculis expellat, neque desinas
respirare te nunquam sinat, quam cum fueris mediocri
studia consecutus, quibus in palaestra laborantis
Evangelii bonam militiam milites, et Ecclesiae
[illegible] reddas. Senatus Bremensis me revocat
honestissimo stipendio ad scholae suae gubernationem,
sed ego hanc projectam functionem (ut quidam exi-
stimant) Duisburgi semel Christo auspice susceptam,
deserere nullo modo possum, dum sibi meam Resp:
operam putet usui esse posse. Commendare nostros
conatus Filio Dei ne neglexeris. Hanc epistolam
volo testem tibi esse tum apud Deum, tum apud
homines, quod et ego te ad optima quaeque incitave-
rim: et tantum Bremae, quam Duisburgi vigilate
sancteque mecum vixeris. Vale Theodore, frater
dilecte Duisburgi 19. July a. 562. ea hora, qua tuas
accepi sub noctem jam parans in proximum diem
exhortationem, itaque scripsi quam levissimo stylo ut
semper et tua modestia postulabat. Literas ad Nicola-
um et librum si potes mitte. Johannes Molanus.

Pax Christi.

47.) D. Danieli à Buren consuli Civit: Bremae.

[=Mscr. a. 7: v. 126]

Reverende D. Consul, vir humanissime, ut me su-
stentat vestri quaedam erga me incredibilis bene-
volentia, ita mihi molestum est tum demum de ve-
stra voluntate me fieri certiorem, cum amissa
est omnium libertas deliberandi. Triduo sci-
licet ante hujus fratris adventum, quum à vene-
rando Senatu propter rescissa pacta missionem
flagitarem, Venerunt à serenissimo principe viri spectantes

pleni authoritatis et consilii, qui tentarent con-
ciliationem. Totum biduum res ultro citroque ma-
gnis studiis agitata est nullo successu. Tertio demum
die nos jussi sumus a supremo Magistratu non agere
pertinaciter, ne nobis et Scholae Principis illustris-
simi indignationem conciteremus, feremusque post iram
non aequam quidem, sed quae corrigi non posset, jacturam
pacti saltem ad pascha usque, deinde praestaretur
quidquid erat promissum, et boni aliquid pro
tantilli temporis incommoditate redderetur.
Quod faceremus! instante Senatu superati ea,
pro versa magis quam nostra, nos quoque concessimus
aliquid de jure nostro, et ad eam moderationem descendi-
mus, quae facile apud bonos testaretur, neque praeterea
nos animo esse, nec quidquam spectare, nisi of-
ficia nostrae vocationis. Ergo hac ratione sarta
est dissensio, ut hunc annum proximum in hujus Scholae
ministerio collocemus. Nunc vestrae prudentiae est etiam
atque etiam dispicere, quid ex usu Scholae vestrae sit maxime. Nam
ego nimis injurius sim, si postulem tam diu tam celebrem
locum Rectore destitui causa mea, qui nihil supra
mediocritatem praestare possum. Expetitur a vobis
opera nostra in annum proximum, vocatio est legitima,
honesta, et mihi (cui si viribus diffiderem) desperanda,
quam utinam et Dominus suo Spiritu meo cordi com-
probet et confirmet, ut alacritate aliqua me incendat
ad serviendum isti Ecclesiae, quae quasi altera patria me patria
exterrem tam liberali hospitio. Nihil certe est quod malim,
quam istic consenescere cum amicis fidelibus et praestan-
tibus viris, apud quos et quorum maxime beneficio nuper
quasi revixi, et gratias ago, quod a vobis disjunctum
tam humaniter tamque solicite revocetis. Sed me angit
tam longa expectatio, quae vereor ut Scholae vestrae dam-
nosa futura sit. Non par est meis rebus consuli a vobis
cum detrimento juventutis. Huic malo si quod inveniri re-
medium potest, et meam artem qualemcunque vultis
Scholis vestris servire, dabo operam, ut vobis obte-
perem cum hac una exceptione. Nisi necessitas inter-
veniat ejusmodi, quae tam apud vos, quam apud alios aequos
judices promereatur justam excusationem. Vale Veneran-
de D. Consul cum chara conjuge et filio Daniele. Dieb: 11 Jan: 1562.

T. D. addictus Joh. Molang.